



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Synopsis || Rerum Variarum || Ab || Orbe Condito Ad  
Sæculum Nostrum XVIII. || gestarum, simúlque ||**

**Kolb, Gregor**

**Augustæ Vindelicorum, 1724**

**VD18 14497743**

Synopsis Testamenti Veteris Seu Historicæ Sacræ Libri Testamenti  
Veteris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64332)

SYNOPSIS  
 TESTAMENTI VETERIS  
 SEU  
 HISTORIÆ SACRÆ.  
 LIBRI TESTAMENTI VETERIS.

**A**rtes Librorum Testamenti Veteris sunt quatuor.

*Pars I.* seu *Lex* dicta habet libros quinque, scilicet 1. Genesis. 2. Exodi. 3. Levitici. 4. Numerorum. 5. Deuteronomij. Vocantur etiam *Pentateuchus*, quem conscripsit Moyses.

*Pars II.* *Historia* appellata continet libros septendecim, scilicet 1. Josue. 2. Judicum. 3. Ruth. 4. quatuor libros Regum. 5. duos libros Paralippomenon. 6. duos libros Esdræ. 7. Tobia. 8. Judith. 9. Estheris. 10. Job. 11. duos libros Machabæorum.

Jam verò librum Josue probabiliùs conscripsit ipse Josue, exceptis rebus ultimis, quas addidit vel Propheta Samuel, vel Esdras Sacerdos. Librum Judicum tribuunt Samueli 72. *Interpretes.* Eidem Samueli adscribunt alij librum Ruth & I. Regum. Librum II. Regum & partem III. scripserunt Nathan & Gad Propheta. Partem lib. III. alteram adscribunt *authores graves* Jeremiæ Propheta.

Duos libros Paralippomenon scripserunt Propheta illorum temporum. Duo libri Esdræ ferunt nomen Scriptoris, scilicet Esdræ Sacerdotis. Librum Tobia quis scripserit, haud satis notum est. Librum Judith scripsit Eliachim seu Joachim Sacerdos, teste *Josepho.*

Librum Estheris scripsit Mardocheus. Librum Job an ipse, vel partem libri maximam, vel fortè totum Moyses conscripserit, incertum est.

Duos libros Machabæorum probabiliter scripsit Hircanus filius Simonis Sacerdotis.

*Pars*



*Pars III. Seu Sapientia* dicta continet libros quinque, scil. 1. Proverbiorum. 2. Ecclesiasticis. 3. Canticorum. 4. Sapientia. 5. Ecclesiastici. Tres horum, teste C. Bellarmino, sine controversia scripsit Rex Salomon; imò etiam quartus eidem tribuitur ex communi consensu antiquorum Patrum. Librum Ecclesiastici scripsit Syrach.

*Pars IV.* Sunt Prophetia, quarum unà cum Psalterio Davidis 17. numerantur, nimirum

1. Psalterium Davidis. 2. Prophetia Isaia. 3. Jeremiae cum Baruch. 4. Ezechielis. 5. Danielis, qui vocantur Prophetæ Majores. 6. Osee. 7. Joelis. 8. Amos. 9. Abdia. 10. Jonæ. 11. Micheæ. 12. Nahum. 13. Habacuc. 14. Sophonia. 15. Aggei. 16. Zacharia. 17. Malachia.

Atque descripta hæcenus Prophetarum nomina indicant authores seu Scriptores Prophetiarum, quæ non eodem ordine temporum fuerunt conscriptæ, quo ordine hoc in loco veniunt Prophetæ singuli, uti satis etiam Seculorum Series inspicienti eam dicat.

## S Y N O P S I S

### AB ORBE CONDITO USQUE AD DILUVIUM.

**N**ominatissimi in Sacro Codice Patriarcharum, Sacerdotum & Regulorum instar regnarunt ante Diluvium

1. Adamus Protoparens, qui <i>vixit annis</i>	930.
2. Abel Adami filius Caini mali frater bonus	129.
3. Seth Caini natus	912.
4. Enos Sethi Soboles Deo dilectissima	950.
5. Cainan filius Enos	910.
6. Jared Cainani nepos, Malaelis filius.	962.
7. Henoch Jaredi filius an. ætatis suæ 365. mundi 922. raptus, servatur interea mortalibus usque ad Anti-Christi tempora.	
8. Mathusalem Henochi filius omnium mortalium ætate maximus vixit annos	969.
9. Lamech Mathusalemi filius Noemi Pater	777.
10. Noe Arca Conditor an. Mundi 1050. ante Diluvium annis 600. natus, inter corruptos jam seculi mores constanter Deo addictissimus & dilectissimus superavit annos	950.